

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Theses Historico-Philologicas Consensu Inclyti  
Philosophorum Collegii Reg. Pomeranorum Academiae  
Gryphicae**

**Träg<sup>o</sup>ard, Elias**

**Gryphiswaldiaë, [MDCCLXX?]**

**VD18 13193120**

**urn:nbn:de:gbv:45:1-15772**

ש ש ב

6

THESES  
HISTORICO-PHILOLOGICAS  
CONSENSU

INCLYTI PHILOSOPHORUM COLLEGII REG. POMERANORUM ACADEMIÆ GRYPHICÆ,  
PRÆSIDE

Mag. ELIA Trägård,  
ORDIN. PHILOSOPH. ADJUNCT. ET BIBLIOTH. ACAD.  
PRÆF. VIC.

AD DIEM XXI. DECEMBR. MDCCLXX.

H. A. M. C.

PUBLICÈ EXAMINANDAS SISTIT


ANDREAS A. TILLAEUS  
WESTMANNUS.

---

GRYPHISWALDIÆ  
LITERIS A. F. RÜSE  
REG. ACAD. TYPOGR.







**Farbkarte #13**

**B.I.G.**

8	7	6	5	4	3	2	1
Black	3/Color	White	Magenta	Red	Yellow	Green	Cyan
Black	3/Color	White	Magenta	Red	Yellow	Green	Cyan







### Thef. I.

**L**inguam, seu orationem aequae ac rationem, primo homini fuisse concreatam, ex historia creationis Mosaica Gen. II. certo concludere possumus.

Ut taceam, nullam probabilitate se commendantem adferri posse rationem, cur hominem, creaturarum in mundo visibili praestantissimum Deus crearet mutum, s. Auctor, cujus narrationi hoc in negotio fidere possumus, & sine qua omnia fere huc spectantia ignoramus, disertis declarat verbis v. 16. cit. cap. cum Adamo recens creato DEUM locutum fuisse primamque illi legem praescripsisse. Contraria opinio: Homines nimirum ipsos sibi primam excogitasse linguam, a veritate adeo videtur aliena, ut minime dubitem, quin false exhiberetur, nisi nunc iterum in usum venire inciperet, ne scilicet nova desint, vel potius, ut antiqua, quamvis saepius recocta, novitatis tamen quandam speciem praeseferentia, quorundam palato sapiant. Ex antiquis hanc nobis aperiunt sententiam HORATIUS (a), DIODORUS SICULUS (b), referens, *Hermetem*, qui apud *Ofirim* Aegypti Regem in maximo ante omnes honore positus fuit, communem loquelam articulatam distinxisse. Nec non ipse CICERO (c), his philosophiam

\* 2

(a) Serm. Libr. I. Satyr. III.

(b) Biblioth. hist. L. I. C. 15. 16.

(c) Tusc. Quæst. L. V.





phiam laudans: *O vitæ philosophia dux, o virtutis indagatrix, expugnatrix vitiorum, quia non modo nos, sed omnino vita hominum sine te non esse potuisset! Tu urbes peperisti, tu dissipatos homines in societatem vitæ convocasti, tu eos inter se primo doniciliis, deinde conjugis, tum litterarum & vocum communionem junxisti etc.* Quam belle hic præponuntur postera primis! ut sane mirum, qui sibi talia quisquam, etiamsi a revelatione meliora non edoctus, persuaderi pateretur, imprimis cum ipsæ profanarum gentium mythologiæ in sanioris de hac aliisque antiquissimis rebus notitiæ vestigia incidendi occasionem præberent. Cum allatis tamen auctoribus e recentioribus quoque faciunt MAUPERTUIS (d), ROUSSEAU & alii. *Ista loquelæ humanæ, quod hic obiter tantum monere volo, primordia si probari possent, utique scripturam sermone priorem fuisse concedendum foret, hocque concessio, primam scripturam signis rerum, seu hieroglyphicis, ut vocant, constituisse vix quisquam inficias iret. At, quantum mihi videre datum, falsum est prius, ergo etiam posterius.*

## Th. II.

Verba f. Historici eod. Cap. v. 19. clare satis innuunt, animalia a DEO creata ad Adamum adducta fuisse, illis nomina ut imponeret. Hanc quoque cujusvis denominationem ex ipsius natura desumptam fuisse, ulla cum ratione negari nequit.

Novi quidem, alios aliud ex his verbis exsculpere velle. Sunt, qui putent, ideo animalium paria impulsu divino ad primum hominem accessisse, ut quid sibi adhuc deesset, nim. עזר כנגדו *auxilium commodum ipsi*, animadverteret, quod quidem statuendi coherentiam textus occasionem dare haud diffiteor. At, unius ejusdemque actionis rarissime unicus tantum est scopus. Primarium vero hic fuisse, ut nomina iis imponeret, in quæ dominaretur, contendo, quem ipse quoque textus non obscure indicat verbis: לראות מה יקרא לו *ad videntum, quid vocaret illud.* Jam, cum sermo hominum primus Deum agnosceret auctorem; id quod nec profanis absconditum omnino esse potuit, prout dixit PLATO, *videri sibi eam naturam, quæ rebus*  
nomina

(d) Histoire de l'Acad. Roy. des sciences & bell. lettr. Berlin 1754.



*nomina imposuerit, fuisse celsiorem hac humana, vid. POLUM (e), isque Adamo a DEO esset concessus, sequitur, ut aptissima, seu naturam denominatorum animalium optime exprimentia illis hic indiderit nomina; alias namque sine ratione sufficiente aliquid egisset, & lingua rebus creatis, suo cuique, nomine nuncupandis a Creatore destinata ad scopum obtinendum fuisset minus idonea, quod statuere veritati minus congruens jure habetur. Ceterum, an, quam etiamnum habemus, lingua hebræa fuerit Adami ista primæva, an vero, quod satis videtur paradoxon, singula nomina personarum pariter ac animalium rerumque aliarum a Mose in suum sermonem translata fuerint, ut suspicatur CLERICUS (f), meam hac vice non facio controversiam. Saltem cuivis hebræa callenti patet, nomina animalium cum illorum natura semper convenire, id quod aliis in linguis rarissime observatur. Videatur de hoc BOCHARTUS (g). Quin, aliæ quoque ejus voces, dum etyma rite investigantur, non adeo raro quandam cum rebus significatis convenientiam produunt.*

### Th. III.

Infelices turris Babelicæ structores tantæ molis atque altitudinis, quod moliebantur, ædificio, de quo Gen. XI, refugium a nova diluyie sibi parare voluisse omnino frivolum est. Potius a dispersione sibi præcavere propositum illis fuit.

Illud qui statuunt primos istos Noachi posteros admodum faciunt simplices; rite enim quæritur: Quot ibi servari potuissent? nonne hunc in finem ingentem navium multitudinem construere consultius fuisset? At ab iterata aquarum inundatione tuti fuerunt vi promissi divini Cap. VIII. 21. 22. cujus nec inscii esse, nec veritatem ejusdem impugnare potuerunt, quodcunque enim libenter homines volunt, id quoque facile credunt. Non desuerunt, qui speculam, e qua astrorum cursus observarentur, hic extrui cœptam opinentur. Hi contra, justo forsitan perspicaciores eosdem habent. Textus sacer hac structura, ad mentem illorum, generis humani per totum terrarum orbem

\* 3

dilper-

(e) Synops. Crit. ad h. 1.

(f) in Diss. præl. prima Prolegom. ad Comment. in Pentateuchum.

(g) De scripturæ animalibus L. I. C. IX.





dispersionem impediendam fore clare innuit verbis: פן נפרץ על פני כל הארץ — *ne* (non antequam, quem significatum particula פן nunquam obtinet) *dissipemur super faciem totius terræ*. Unde concludere etiam licet, cohortationem illorum: *נעשה לנו שם* *faciamus nobis nomen*, non ita sumendam, ac si celebritatem nominis adfectarent, quid enim hoc illos eadem in regione una ad retinendos juvaret? sed paraphrastice sic exponendam: altissima turri exstructa & ampla circa eam condita urbe erigamus nobis quasi *signum, indicium* (שם *nomen*, quo aliquid definite ponitur, vel indicatur a שום vel שם *posuit*) circa quam semper habitemus, nec ulterius dissipemur, quam ut illuc tanquam ad metropolin mansionum nostrarum & ad cognatos nostros, quandocunque libuerit, redire queamus.

#### Th. IV.

Huic operi non totum genus humanum interfuisse statuo; quo posito, utique nec omnes eo tempore viventes inflictae poenae, confusionis nempe linguarum, participes fuerunt.

Primus hujus capituli versus, si cum verbis mox in secundo obvientibus, tanquam suo praedicto conjungitur, ita, ut de iisdem nim. פן נפרץ על פני כל הארץ — *omni terra*, vel incolis terræ, qui erant *sermone uno & verbis iisdem*, diceretur, quod *ab oriente proficiscerentur* etc. rite quis concluderet, omnes tunc viventes homines, ad opus illud suscipiendum conspirasse. Verum enim vero, praedictum *cum proficiscerentur*, referendum est ad subjectum in vers. ult. cap. praecedentis, scilicet *familiae*, vel *progenies* filiorum Noachi, & primus hujus capituli versus est tantummodo periodus intermedia, vel parenthesis; Unde sic nequidem filios Semi, Japheti & Chami, vel primos illorum posteros, ne dicam ipsos, vel patrem Noachum in hoc iter se contulisse, aut consilii de struenda turri & urbe participes fuisse affirmari potest. Quid impediret, quo minus Seniores in pristina sede permanerint, junioribus tantum & aliquot forte seniorum, tanquam illorum ducibus, ad nova quaerenda domicilia emissis; prout sequentibus temporibus circa migrationes gentium, seu coloniarum deductiones factum est. Aliam, qua assertum probari possit, rationem ex eo peti posse crediderim, quod suscepta haec structura DEO displicuerit. Peccatum horum aedilium non



non dubitandum, quin in eo constiterit, quod mandato DEI repugnare & finem, quem hominum multiplicatione obtentum voluit, irritum facere conati sint, vid. Gen. I, 28. idemque etiam post inundationem repetitum Cap. IX. 1. Id quod tanto magis nefandam prodidit impietatem, quatenus hocce præceptum DEI, nec ignorasse, nec ejusdem immemores fuisse verba ipsorum v. 4. dilucide monstrant. Jam vero in tantam impietatem omnes prolapsos fuisse universi orbis incolae rationes theologicæ sunt, quæ credere prohibeant, hocque posito, haud omnium loquelam confusionem subiisse rite colligi poterit.

#### Th. V.

Divisionem terræ, quæ tempore nativitatis Pelegi accidisse narratur Gen. X. 25. verosimile est, non fuisse politicam, sed naturalem. Scilicet universalem ibi innui terræ motum existimo.

Quominus politica fuerit, obstare videtur paucitas hominum tum temporis viventium, quæ vel unica ratio sufficiens haberi poterit. Ab altera autem parte, vix ulla excogitari potest ratio, cur pauci isti homines, totum terrarum orbem multorum millium abunde capace, inter se dividerent; quem præterea nondum sibi cognitum habere potuerunt. Unde hanc divisionem fabulam censet etiam Cl. MICHAELIS (h). Naturalem vero eandem fuisse, ipsa globi nostri terraquei consideratio, prout in mappis nostris Geographicis eundem conspicimus, variaque ubique locorum, quæ inveniuntur ejusmodi rupturæ vestigia, satis probabile reddunt. Quo assumpto, sua sponte evanescent Criticorum atque Chronologorum trixæ de tempore nativitatis & ratione denominationis Pelegi, nec non spiritus propheticus Heberi, quas vide apud POLUM (i). Horrendas adeo subiit terra nostra mutationes binas, eluvionem alteram, alteram terræ motum, quibus ultimis temporibus accedet incendium.

#### Th. VI.

Cogitationes & harum signa voces cum sint innumera, frustra laborarunt hæctenus & in posterum etiam oleum & operam perdunt, qui scripturæ, sic dictæ, universali inveniendæ operam dederint. Si

(h) Comm. de Nomadibus vid. syntagm. Comm. P. I. p. 215.

(i) Synopf. Crit. ad h. l.





Si verum esset, quod de scriptura Sinarum contra auctoritatem itinerariorum maxima fide dignorum, tam confidenter affirmant accedunt nonnulli, positionem hanc falsam esse utique concederem; at tum maxima quemque subeat admiratio; cur ni nationes Europææ Sinis multo perpicaciores atque politiores idem scribendi genus dudum adoptaverint. Id quod artibus, scientiis & commercio totum inter genus humanum summæ esset utilitati easdemque mirum in modum faciliores redderet ac promoveret. At, scripturam hanc nequaquam esse posse universalem quivis facile convincitur, si conferatur BAJERUS (k) & FOURMONT (l). Alias, ejusmodi scripturam excogitari posse statuit MAUPERTUIS (m), eandemque dudum antea ad absolutionem ac perfectionem perduxerat SOLBRIGIUS (n). Is nim. a se inventam in lucem edidit rationem per Ziphras scribendi; quam videas & eris de non tribus unus.

### Th. VII.

In quibusvis linguis paucissimæ voces sunt signa rerum arbitraria, & sane, si vocum omnium etyma nobis essent cognita, nullæ omnino tales esse deprehenderentur.

Illud forte locum haberet, si de primis primitivis quæstio est, neutiquam vero de derivatis. Valde igitur errant, qui debita accurate significationes vocum investigare in linguis negligunt, vel hocce studium flocci facientes, plane rejiciendum docent; cum ex principiiis etymologicis sanæ rationi superstructis pateat, voces ad ipsarum rerum illis designatarum notitiam nos ducere, non ut signa mere arbitraria, quod nonnulli philosophorum contendunt, sed ut signa consilio ita formata, ut certas rerum proprietates nobis indicent; id quod innumera fere in quibusvis linguis ostendunt exempla, cuius de vocum etymis cogitanti sua sponte se sistentia. Hæc autem ego ad alia festinans in medio relinquere cogor.

(k) in Museo Sinico.

(l) Grammaire Chinoise.

(m) l. l. cit.

(n) scriptura oecum. edit. Saltquell 1726. in 8.

